



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Antiphonae. De S. Arsatio Pont. & Confessore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Deus noster refugium, & virtus.  
Pfal. 41.

**Añã.** Preciosa in conspectu Domini  
mors sanctorum eius.

Credidi propter qđ locutus sum.  
Pfal. 115.

**Añã.** Sancti tui florebut sicut lilia: &  
sicut odor libani erunt ante te.

Domine quis habitabit in taber-  
naculo tuo. Psal. 14.

**Añã.** Iusti, & sancti in Domino gaudente.  
Beati omnes, qui timent. Ps. 127.

**Añã.** Gaudente gaudio magno martyres  
Christi: gaudente, & exultate, quia  
merces vestra magna est in Cælis.

Antiphonæ.

De S. Arsatio Pont. & Confessore.

**S**Tatuit illi Dominus testamen-  
tum sempiternum: & dedit illi  
sacerdotium magnum.

Sacerdotes domini benedicite do-  
mino: serui domini hymnum dicit  
Deo nostro.

Confessor sancte, sacerdos magne,  
B. Arsati intercede pro nobis.

**I**N hac synodo, vt in cæteris, de pro-  
fessione fidei, de examinadoribus, de iudicibus,  
de testibus synodalibus, de pun-  
tatoribus, cæterisque actum, & ge-  
stum est.

Quo in genere toto decreta illa trala-  
titia promulgata sunt, quæ scilicet de  
vna in aliam synodum perpetuò tran-  
sferre consueuimus ad huiusmodi vsum.  
Sed cleri nominatio diligentius facta  
est, quam alio tempore: itidemq; scruti-  
nii ratio accuratius inita.

Decretum.

De nominatione cleri, & scruti-  
nio, & cathedratico.

**E**DICIMVS vocationem cleri,  
& synodale scrutinium ad præscriptum  
decreti in hesterna sessione promulgati.  
Vocati igitur vniuersè, certo ecclesiæ  
titulo, bini, & ordine ad Illustrissimum  
Archiepiscopum accedant, & reueren-  
tiam exhibeant.

Inde ordine etiam ad præfectos scruti-  
nii se conferant.

parochi præterea ad Oeconomum: cui  
cathedraticum ex instituto soluant.

Decretum.

Penitentia clericis impositæ synodali  
tempore cauponas frequen-  
tantibus.

**Æ**QVISSIMVM est, ecclesiasti-  
cos homines, qui contra clericalis, & sy-  
nodalis disciplinae leges, concilij, &  
prouincialibus, & diæcesanis sancitas,  
de suggestuq; in hesterna sessione pro-  
mulgatas, ac in tabella intra septum ses-  
sionis synodalis propositas aliquid cõ-  
mittunt, subiacere canonicæ discipli-  
næ, & correctioni.

Mandamus igitur hos N. N. qui hoc sy-  
nodali tempore ad cauponas diuerte-  
runt (id quod & decreto prouinciali, &  
disciplinae synodalis sanctione vetitum  
est) superpelliceo exutos, ad altare ma-  
ius genibus flexis psalmos septem pœni-  
tentiales dicere; & cras, feria sexta ieiū-  
nare pane, & aqua; & quidquid pecuniæ  
in dimenso cibo crastinae feriae erogatu-  
ri erant, id in elemosinam Christi pau-  
peribus conferre.

De indictione Synodi IX. futurae.

**S**YNODVM nonam diæcesanã,  
quam ex sacri Tridentini Concilij de-  
creto anno sequenti M. D. LXXXII.  
iuuante Christo Domino, celebraturi  
sumus; cum statuta ea die, quam in decre-  
to nostro diæcesano præscripsimus, ha-  
bere non possimus ob concilij prouin-  
cialis sexti celebritatem, quod per nos  
indictum, in idem ferè tempus cadit;  
eam indicimus futuram esse die sexto  
Iunii eiusdem anni.

Proessione solenni acta, acclamatio-  
nibus de more factis, osculo pacis inter  
se dato, & cæteris ex pontificali libro  
rite confectis, synodus ita dimissa est.

**A**YCTORE Deo absoluta syno-  
dò, omnes & singulos, qui ad hanc syno-  
dum nostram octauam conuenerunt, di-  
mittimus in pace ad suas sacerdotales  
clericalesve stationes.

Qui verò in hesterna sessione congrega-  
tioni oblatorum se adscribi petierunt,  
nobisve se obtulerunt, aut se offerre pro-

F 2 posue-